

## Latin: Level III

### Mandatory Selection

“P̄yramus et Thisbē, iuvenum pulcherrimus alter,  
altera, quās Oriēns habuit, praelāta puellīs,  
contiguās tenuēre domōs, ubi dīcitur altam  
coctilibus mūrīs cīnxisse Semīramis urbem.  
nōtitiam prīmōsque gradūs vīcīnia fēcit,  
tempore crēvit amor; taedae quoque iūre coīssent,  
sed vetuēre patrēs: quod nōn potuēre vetāre,  
ex aequō captīs ardēbant mentibus ambō.  
cōnsciūs omnis abest; nūtū signīsque loquuntur,  
quōque magis tegitur, tēctus magis aestuat ignis.

- Ovid, *Metamorphoses* 4.55-64

### Second Selection I

deciens nivibus cānuit Idē,  
deciens nostrīs nūdāta rogīs,  
et Sīgēīs trepidus campīs  
decumās secuit messor aristās,  
ut nulla diēs maerōre caret.  
sed nova flētūs causa ministrat.  
īte ad planctūs, miseramque levā,  
rēgīna, manum. vulgus dominam  
vīle sequēmur; nōn indocilēs  
lūgēre sumus.

- Seneca, *Troades* 73-82

### Second Selection II

nunc, nunc vīrēs exprōme, dolor.  
Rhoetēa sonent lītora planctū,  
habitānsque cavīs montibus Ēchō  
nōn, ut solita est, extrēma brevis  
verba remittat, tōtōs reddat  
Trōiae gemitūs. audiat omnis  
pontus et aether. saevīte, manūs,  
pulsū pectus tundite vastō,  
nōn sum solitō contenta sonō;  
Hectora flēmus.

- Seneca, *Troades* 107-116

### Second Selection III

Fortūna vīrēs ipsa consumpsit suās.  
quae patria restat, quis pater, quae iam soror?  
bibēre tumulī sanguinem atque ārae meum.  
quid illa fēlix turba frāternī gregis?  
exhausta nempe! rēgiā miserī senēs  
vacuā relictī; totque per thalamōs vident  
praeter Lacaenam cēterās viduās nurūs.

- Seneca, *Agamemnon* 698-704

**Note:** Participants are required to recite from memory two pieces: the Mandatory Selection and one of the Second Selections.